

SPECIMINIS ACADEMICI,  
DE REVELATIONE,  
PARS POSTERIOR, SIVE THEOLOGICA.

---

QUAM,  
EX SPECIALI SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS VENIA,  
CONS. VENERANDA FAC. THEOL. ABOËNSI,

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERUNT

*FRANC. MICH. FRANZEN,*  
PHIL. PRACT. ET HIST. PROF. REG. ET ORD.

ET

*HERMANNUS ERICUS INBERG,*  
OSTROBOTNIENSIS.

In Audit. Maj. d. 18 Junii 1803.

Horis a. m. solitis.

---

*ABOÆ, typis FRENCKELLIANIS.*

*H.*



*SECTIO POSTERIOR,  
Sive Theologica,*

*De Veritate Revelationis Christianæ.*

Quam in priori dissertationis nostræ parte definivimus revelationis ideam rationalem; eam in sacris bibliis, quæ christianam continent religionem, nobis esse revera præstitam; hujus ideoque veritatem divinam rationi, sui ipsius principiis nitenti, indubiam esse: porro ostensuri sumus. Rogamus autem, ut lector benevolus meminisse velit, opusculum nostrum non esse nisi specimen temporarium, quo libari tantum, non exauriri, res uberrima potest.

CAP. I.

*De forma revelationis christiana.*

§. 1.

Primum igitur: facta illa historica, quibus exhibetur revelationis christiana, omnem habent certitudinem, quam historia habere potest. Singulari enim cura, cum veteris, tum novi testamenti monumenta conservata sunt: illa scilicet, quia & historiam & legem & religionem gentis, de sua stirpe ac definitione gloriantis, continebant; haec autem, quia palladium erant ecclesiæ, ut crudeliter oppressæ, ita constanter & fortiter in fide sua manentis, atque incredibili fere entusiasmo omnia defendantis, quæ ad suam pertinerent religionem. Nulli sane Graecorum & Romanorum libri tanta diligentia descripti, collati & examinati sunt <sup>v)</sup>. Quod ad novum in primis testamentum attinet: primum traditio, in ecclesiis antiquissimis

F

ora-

---

<sup>v)</sup> Vide SEILER I. c. Vol. I, p. 237.



orali debita apostolorum institutioni, (Apost. 16: 4. Rom. 6: 17. 1 Cor. 15: 1 - 3.), scriptorum evangelicorum veritatem probavit (Gal. 1: 7 - 9). Deinde lites cum hæreticis exegerunt, ut vera documenta a falsis accurate discernerentur. Tom ars critica omnem adhibuit sollertia in confirmanda authentia illorum. Cuius operæ, si aliquid valet, certe in hic re omnis debita est fides; nam si ex una parte zelus pro religione christiana criticos armavit, ex altera etiam, audacia adversariorum nihil neglexit quod eos sollicitaret.

Neque interna illa veritatis nota, quæ plus saepe, quam omnia externa argumenta, in judicium nostrum valet, historia evangælica desituta est. Quis de Pitato v. c. Christum examinante & judicante (Joh. 18 & 19.) aut de Paulo, Athenis fermocinante (Apost. 17.) narrationes legit, neque veritatem sensit, qua procuratorem Romanum & nationem Atheniensem aliquot verba describunt? Atque in genere narratio biblica cum tota temporis historia tam perfecte consentit, ut omnem præ se ferat certitudinis historicæ speciem. Si spurii essent libri novi testamenti: aut ab uno auctore omnes, aut a pluribus in unam consentientibus fraudem, confici essent. Illud autem æque insulsum est credere ac hoc! Unus potuit omnem illam in harmonia varietatem ingeniorum, morum, scribendi generum & ceterarum rerum invenire & exprimere! Plures autem tantam historiæ & doctrinæ unitatem fervare, nec ulla tamen ab individuali suo charactere dcedere! Talis vero fraus mox non esset detecta, in tanta sectarum religiosarum æmulatione & differentia! Multo sane majus prodigium hoc artificium suisce nobis videtur, quam omnia illa miracula, in historia sacra narrata, quorum improbabilitate plurimi suam de veritate illius dubitationem fundant. Nil vero magis historicam quoque religionis christianæ probat, quam subita ejus per orbem Romanum propagatio, & ad hunc usque diem conservata auctoritas.

## §. 2.

*Positivam* esse doctrinam christianam, frustra negant, qui naturalem tantum religionem in ea invenire student. Quidquid auctor & nuntii ejus docent, divina auctoritate, non rationcio statuunt, et si hoc etiam illustrandi causa interdum utuntur. *Esse* Deum, *esse* legem moralem, *esse* vitam futuram pro datis ponunt, non demonstrant. Expressis verbis saepius monent se non humanam tradere sapientiam (2 Petr. 1. 16. Col. 2. 8, 9) sed divinam, neque humano testimonio egere (Joh. 5. 34) Apostoli Christum & spiritum sanctum referunt auctorem (1 Cor. 2. 10. 1 Joh. 1. 1, 2, 3.) Christus coelestem suam missionem, & cum patre unitatem testificatur (Joh. 3. 13. 5. 19, 30. 6. 38. 8. 28. 10. 30. 12. 30. 14. 10, 11. 16. 30.).

Hanc vero divinam auctoritatem factis probant mirabilibus: h. e. a viribus mere humanis non pendentibus. Non Pharisæis tantum & ceteris adversariis, testimonia divinæ suæ legationis potentibus, opera a se præstata miraculosa, qualia a Messia expectabantur, & vaticinia prophetarum in se impleta, Jesus monuit, sed Johanni quoque Baptiste, quærenti: an verus es et tu Messias, hæc respondit: τοφλοι αναβλεπεται &c. (Matth. 11. 5.) Discipulis quoque suis, pro fundamentis fidei eorum in se, opera commendat (Joh. 14. 10. 11.) a patre in se præstata. Atque incolis urbium, in quibus vires suas supernaturales saepius exferuerat, pertinaciam suam non commotam, gravi exprobrat exclamacione. (Matth. 11. 20.) Quod si hæc opera (εγγυα, omnia, actiones fuerint mere humanæ, ut multi hodie asserere audent, sacrae scripturæ interpretes x): quo jure illa pro do-

F 2

cumen-

---

\* Inter ceteros Cel. PAULUS in libro *Philologisch-Kritischer und Historischer Kommentar über das Neue Testament*, cuius operis tria

¶

cumentis divinitatis suæ citare potuerit? (Joh. 5.) Licet etiam ponamus, ignorantiam causarum naturalium & præjudicatam de viribus Messiae exspectationem, atque admirationem virti pro Messia crediti, effecisse, ut actiones hujus mere humanae non modo a multitudine, sed etiam a discipulis suis pro miraculis haberentur; ipsum tamen vel sui vel aliorum deceptorem statuere, minime sane eos decet, qui de sanctitate & personæ & doctrinæ Christi se persuasos profitentur, etiæ mirabilitatem historiæ suæ tollere student. De moralibus Jesu laudibus, de sapientia, veracitate & honestate ejus perfecta unanimis præmodum fuit, hunc usque ad diem, omnium adversariorum etiam instituti christiani consensus. Hoc posito principio, atque concessa simul authentia narrationis evangelicæ, manifeste sibi ipsi contradicunt, qui negant, superhumanas fuisse vires, quibus exferendis ille ipse propositetur, se jus & potentiam suam homines judicandi, e mortuis resuscitandi, & in vitam æternam salvandi demonstrare, alio non egentem testimonio, (Joh. 5. 21. 22. 6. 40. 8. 18. 19. 10. 25. 28. 38. 11. 25.) Evidem, qui adversarios suos provocare potest, ut se de errore convincant, (Joh. 8. 46.) cum e celo se descendisse (Joh. 6. 38.) ante Abramum existitise (Joh. 8. 58.), unum cum patre esse (Joh. 10. 30.) dicere audet: illum res egisse oportet, quas nulli agunt mortales. Quis — ut unicum afferamus operum suorum exemplum — humanum artificem in Lazari e mortuis resuscitatore suspicari audet? Ponamus (quod tamen narratio biblica refellit Joh. 11. 14.) Lazaram non fuisse nisi apparenter mortuum: quomodo Christus, ut merus homo, de ea certus esse potuit? Num calui maxime improbabili confusus fuerit, imprudentissimus propheta: qui narrato ei Lazari morbo

præ-

---

hucusque edita sunt volumina, magnam in hac re adhibet industria & sagacitatem, sed tamidu frustraneam, quandiu probare nequit: Christum se ipsum non declarasse pro persona ecclesi, res superhumanas in terra agente.

prædictum, hunc non esse ad mortem illius, sed ad gloriam Dei ejusque filii declarandam destinatum (Joh. 11. 4.), deinde, nondum aperto sepulchro (v. 41.) Martham, quæ observabat, corpus jam quatuor dies mortuum, non posse non olere, fidem & spem servare jubet (11. 40.)? Num autem persuasio de viribus Messiae, quæ sola ægrum aliquem forte sanavit, in mortuo efficax erat? Quid igitur hoc explicat factum, nisi vis in Christo, vel præscientia, vel potentia, omnem superantis facultatem humanam? *y.* Atque gratia illæ patheticae, quas Deo agit, qui hac quoque occasione preces suas exaudiens, insigne dederat populo circumstanti testimonium divinæ suæ missionis: nonne omnem tollunt de humana calliditate?

F 3

*¶* Exspectamus quidem, ut idem interpres (Paulus) qui (I. c. Vol. I. p. 554.) auguratur, filium viduæ in Nain, cum in lectica aperta ad sepulcrum portaretur, Messiae forte occurrenti vultu suo ostendisse; se ad vitam jam esse redditum, in exspectato volumine, quo Evangelium Johannis interpretabitur, aliquam inveniat hypothesis, Lazari quoque resurrectionem naturali modo explicatam. Forte dicet: morbum Lazari talem non fuisse, ut vel Jesus, eo cognito, eum letalem haberet, vel Martha & Maria omnem perdidissent spem vitae in eo, Jefu adveniente, conservata (v. 22); deinde Jesum cum Martha (v. 23 - 27.) de generali hominum resurrectione locutum fuisse; tum, lacrimis Mariæ vehementer commotum (v. 33.) spem utriusque fororis, ut frater adhuc reviviscere possit, suam teesse, ideoque ad sepulchrum, tentandi causa, properasse; ubi, conspectu facie viri sepulti (v. 41.) mox viderit, eum non esse vere mortuum, sed commotione quadam organorum ad vitam restituti posse; quare magna voce (v. 43.) exclamaverit, atque sic reviviscentem jamdia e sepulchro ad vitam revocaverit. Possunt certe fingi multæ tales hypotheses: sed nil demonstrant contra manifestam persuasionem testium, qui rem gestam narrant, atque testimonium suum ipso effectu miraculi probant; quod scilicet tantam Hierosolymæ effectu perturbationem inter adversarios Christi, ut ab hac die ad eum occidendum omni vi properarent, de ipso Lazaro etiam trucidendo deliberantes (Joh. 12. 10.).

ditate Iuspcionem, atque intimum ostendunt inter Deum ejusque legatum commercium & nexum?

Si vel fieri possit, quod vero frustra tentari jure affirmamus, ut rerum, quæ ad historiam Jesu Christi suæque doctrinæ pertinent, singulæ quæque e nobis cognitis naturæ humanae & terrestris legibus explicitur: universa tamen omnium earum connexio, non nisi singulari debita summi numinis consilio perpetuum manebit documentum religionis christiane divinitus confirmatae. Quis, nisi Deus ipse instituere potuit, ut apud Hebreos vaticinia orirentur, in futurum spectantia Messiam; ut ille eo ipso tempore exspectaretur, quo Jesus natus est; ut ad hujus & genus & locum natalem & calus vel minimos antiqua illa prophetarum effata applicari possint; ut in nativitate ejus ies evenirent maxime incolite, (Luc. 1 & 2. Matth. 2.) que non modo matrem & propinquos ad personam ejus lacram habendam excitarent, sibique ipsi a parentibus narratae, & cum sensu interiori virium suarum coincidentes, puero jam forte persuaserunt, se esse Messiam (Luc 2. 43.), sed cum populi & regis, tum exterorum quoque animum ad infans recens natum attenderunt; ut initiando sibi a Johanne Baptista ad munus suum factum, cœlestè ederetur divina approbationis signum (Matth. 3. 16, 17.); ut in ceteris quoque vitæ suæ gravioribus momentis phænomena exillerent, quæ persuasionem de divina sua legatione confirmarent, quales sunt transfiguratio corporis sui (Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9.) in monte sublimi facta, & vox, precibus ejus coram Judeis Græcis, enī videre cupientibus, e cœlo respondens (Joh. 12. 28, 29.); ut doctor hic, talibus distinctus signis cœlestibus, de rebus, quæ hominis maxime interestent, divinis & humannis doctrinam traderet, quæ, ut præ omni cultissimarum gentium disciplina rationi satisfacit, sic in viro aliis quam litteris Hebræis vix eruditio occurrentis, æternam movit admirationem; ut ingenio & moribus omnem superans excellentiam huma-

nam,

nam, nil ageret nisi quod & beneficium ac sanctum esset, & vires proderet in homine stupendas; ut morte denique, maxime singulari terraeque motu ac cœli obscuratione distincta, & resurrectione sua, solitum naturæ ordinem mutante, nec nisi specialissima Dei providentia effecta, religionem constitueret: per omnes gentes propagandam, cuius ad vere educandum genus humanum summa esset efficacia, cuius sublato adminiculo omne periisset, in tenebris & barbarie medii ævi, vestigium culturæ generis humani, rel giosæ, moralis & literariae, cuius ademta luce & valore, nostro & omnino, homo non foret nisi vel merum animal, externa tantum vi domandum, vel ænigma philosophicum, sibi ipse non vendendum? Doctori autem, quem divina providentia adeo singulari rerum & eventuum serie, ab humanis consiliis nullo modo pendente, distinxit: quis non credat, se esse legatum vere divinum; omnia ideoque, quæ ille egit & docuit, divine auctoritatis nobis esse habenda?

Minime tamen contendimus ipsius doctrinæ veritatem a solis illis externis & mirabilibus involucris derivandam esse. Qui non nisi signa peterent: illos Salvator ipse scipius reprehendit (Matth. 12. 39. 16. 4). Atque miracula sola non esse certa veritatis documenta, discipulos suos serio monebat (Matth. 24. 24.): morale illis commendans veritatis criterium (Matth. 7. 22, 23. Cfr. Joh. 6. 30-38.). Pro externis tantum, sed necessariis, divinæ fidei missionis signis vires illas mirabiles haberi voluit, quas & ipse exseruit, & discipulis suis suo nomine exferendas largitus est. (Matth. 10. 8. Marc. 16. 17, 18.). Sine interna doctrinæ veritate & excellentia, prodigia & portenta non nisi superstitionem aluiscent; sine his vero animus hominum ad illam non suisset attentus; neque aliud haud dubie existisset disciplinæ Christianæ effectus, quam Socratiæ. Ne Pythagorici quidem ordinis magnam, et si brevem, obtinuisse auctoritatem institutum mere morale, non politicum.

Quod



Quod si Christus e mortuis non resurrexisset: num sola doctrinæ suæ veritas ad id efficiendum sufficisset, quod jam religio Christiana effecit, & in perpetuum tempus efficiet? Vix præcepta & dogmata sua literis consignata forent, & ad posteros conservata. Qui enim post mortem ejus disciplinam suam continuarent, Apostoli sui: capto Messia atque spe perdita regni Messiani, quam usque ad fatalem Christi diem, non obstantibus hujus reprehensionibus, foverant, desperantes fugerunt;<sup>z)</sup> nec ullum cepisse consilium propagandæ doctrinæ suæ videntur. Quod vero frustraneum etiam, certe non valde efficax fuisse, maxime probabile est. Egresso autem e sepulchro Messia, tanta fuit admiratio, tanta mutatio totius animi eorum, tantus ad profitendam & docendam religionem ejus ardor & enthusiasmus, ut hic solus resurrectionis effectus historicam quoque facti ipsius veritatem evidenter demonstret,

Ceterum eventus in Jesu historia mirabiles a miraculis, quæ ipse fecit, distinguendi sunt; atque observandum: ut illi magnum semper spectant finem toti generi humani beneficium, sic horum nulla esse vana & inutilia, aut mere ostentationis causa patrata. Non destruxit naturæ ordinem, sed sublevavit cum divinus benefactor: non contra, sed supra naturam, egit. Non lapides in panes mutavit; sed morbos sanavit; defecitus naturæ in cœcis, furdis, paralyticis, dæmoniacis reparavit: sic quoque indicans, se esse restitutorem generis humani, se esse medicum corruptæ naturæ, phylicum quibusdam hominum, moralem omnibus,

§. 3.

<sup>z)</sup> Vaticinium Christi, se tertia die resurrecturum fore, aut non intellexerant discipuli sui, aut ejus obliiti sunt, aut ei non crediderant, sensibus nimis indulgentes. Vid. HERDER Christliche Schriften, T. I. Von der Auferstehung, & PAULUS l. c. Vol. II, p. 521. Vol. III. p. 844, 856 fqq.

## §. 3.

*Popularem* esse religionem christianam subita sua pecie  
plebejos homines propagatio probavit. Totam ejus formam  
ad animos omnis generis hominum, cum dōcendos, tum mo-  
vendos, atque e terra ad cōclūm non fanaticē, sed intelligen-  
ter tollendos maxime idoneam esse, quisque judicabit, qui ori-  
ginarium ejus habitum, quem Christus & Apostoli ei dede-  
rant, a posteriori ornata metaphysico & mystico, distinguere  
saperit. Vel doctrinam ipsam, vel mores ac ingenium, vel histo-  
riani auctoris sui, vel instituta externa species: omnia ad sensu-  
sus, phantasiam, intellectum & animum omnium hominum e-  
gregie adaptata sunt. Quam dilucide & nervose, quam ad cap-  
tum vulgarem accommodate, quam praeclaris exemplis, simi-  
litudinibus, parabolis & allegoriis, cum præcepta, tum dogma-  
ta, oculis quasi discentium a Christo proponuntur! Quam scite  
a sensualibus & præsentibus rebus ad morales & absentes an-  
imum audientium tollendi, omni usus est occasione! (Matth.  
19. 14. Joh. 4. 10. 6. 32. 9. 39. 11. 25. &c. &c.). Quam  
evidenter & apte e casu individuali generalem haesit doctri-  
nam! (Matth. 19. 23.). Quam clare & efficaciter rem maxi-  
me abstrusam unico tæpe verbo vel imagine illustravit! (Joh.  
3. 8.). Quam pathetice denique pectoribus hominum præcip-  
pua doctrinæ suæ momenta in perpetuam tradidit memoriam,  
quæ, omnes commotura honestiores animi affectus, moralem  
detorpescere sensum, nunquam sineret! Videas narrationes de  
filio perduto, de benefactore Samaritano, de Lazaro & viro  
opulento, de judicio extremo, & innumera alia eloquentiæ, ut  
materia sublimis, sic forma popularis, exempla.

Deinde non ingenium tantum & mores (character) Jesu  
admirabiles, sed tota ejus historia, annuntiatio, nativitas, ca-  
sus, mors, resurrectio, in cōclūm sublatio & ad extremum  
judicium adventus: quantam habent vim ad pectora hominum

❧      ☽      ☘

admiratione, amore, commiseratione, fide & spe movenda, persuadenda, mutanda! Ecce: in tugurio natus, angelorum cœlestibus chorus celebratur filius feminæ obsecrare atque – Dei! Quæ imago dignitatis humanæ rite æstimandæ! Ecce: summus populi & generis sui benefactor, sanctissimus hominum, in cruce pendet, victima sacerdotum & magistratum, ludibrium regis & plebeculæ, saevissimis afflictus doloribus, turpisimam notatus ignominia, orans tamen pro inimicis, usque dum Deo animam suam tradit! Quod exemplum virtutis ejusque in terra exspectandæ fortis! Ecce: e sepulchro surgit triumphans abjectum illud cadaver, in cœlum adscendit terrestri damnatus superbia, inde reversurus ad judices suos judicandos! Quod signum iustitiae, fato superstitis! — Quæ unquam fingi posse historia, sentibus aptior, rationi probabilior, ad honestatem efficacior? Et hæc est res vere gesta! Est providentia divina ad homines salvandos consilium! Nos vero hoc neglige! O hominum ingrata levitas!

Sacramenta denique instituti christiani, baptismum & sacram cœnam, verbo tantum moneamus. Quam felici ratione res physicas cum moralibus jungunt! Quam simplici & grata allegoria, ille novam & puram depingit vitam, in ecclesia christiana a quoque ejus membro incipiendam, (Tit. 3. 5)! Hæc autem, quam patheticam refert victimæ innocentis & expiatoriæ memoriam! Quam præsentem ficit Deum vindicem & salvatorem! Quam sensibilem, sed moralem tamen, ad pœnitentiam & emendationem exhibet causam! Utrumque sacramentum practicam rationem, phantasiam ope, fortiter adjuvata: neque tamen, nisi abusu corruptum, superstitionem alit.

## CAP. II.

*De materia religionis christianæ.*

Materiam denique religionis christianæ spectantes: facile videamus, hanc nobis id ipsum præstare, quod in revelatione querimus: ut, quæ non possumus non cogitare, ea esse persuadeamur, ut orbis sensibilis exteriorum rerum, necessariis mentis humanæ ideis consentire, nobis videatur, ut rationem nostram sensibus nostris conciliandi facultatem obtineamus. Ne obrectatores quidem doctrinæ christianæ, si unum vel alterum textus evangelici interpretem ignarum æque ac impudentem excipias, moralem & rationalem ejus veritatem impugnare ausi sunt. E contrario nemo fere recentiorum systema aliquod philosophicum construxit, quod non vel ipse vel assecræ sui ea ipsa re commendare vellent, quod harmoniam ejus cum religione christiana ostendere studerent. Testatur id vel hodierna experientia <sup>aa)</sup>). Liber nobis conscribendus foret, ut accurate ostenderemus, quam plane & præclare doctrina christiana rationi satisfaciat, hominem cum se ipso concilians, atque omnem absolvens sapientiam, mortalibus ad virtutem & felicitatem necessariam. Digito tantum præcipua rei momenta monstrare nobis licet.

## §. 1.

An verum sit discrimin inter sensualem & rationalem hominis naturam? Quæ & quanta sit libertas ejus moralis? Quæ origo pravitatis suæ? Quæ denique veritas & possibilitas virtutis, atque felicitatis, ad omnes homines in perpetuum tem-

G 2

pus,

<sup>aa)</sup> Videbis librum KANTII: *Religion innerhalb die Gränzen der Vernunft.*

pus ab ea derivandæ? Has de natura & destinatione hominis quæstiones, a ratione humana omni ævo agitatas, nulla unquam vel philosophia vel religiosa institutio, præter christianam, ita solvere valuit; ut contradic̄tio, quam vel plebs sentit, inter moralem hominis obligationem & physicam naturæ suæ necessitatem, inter fatalem quandam generis sui corruptelam & justitiam divinam, inter necessitatem & impossibilitatem virtutis puræ & perfectæ, inter studium felicitatis ex animo humano indelebile & sentum æque indelebile mitzendæ felicitatis præsentis, realis, certæ, ob felicitatem futuram, idealem, incertam; ut hæc, inquam, contradic̄tio, evidenti quadam ac populari expositione, tota tolleretur. Qualem nempe biblia sacra positivam continent, cum in narratione de lapsu primorum hominum, tum in doctrina de fide in Christum.

### §. 6.

Quod ad illam attinet: multi quidem recentiores Theologi non nisi allegoriam poëticam in ea inveniunt. Sed, quamvis non negamus, formam esse poëticis coloribus adumbratam, multaque pro simplicitate linguae ac ingenii antiqui improprie dicta & symbolice narrata *bb*): ipsam rem tamen cum histo-

*bb*) Qualia sunt colloquium cum serpente, vox Dei in terra ambulantis, Cherubi excubias agentes &c. que omnia diluteide explicavit EICHHORN (Vide *Urgeschichte*, in collectione: *Repertorium für biblische und morgenländische Litteratur*, 4 Th.); qui autem, cum mythi historici rationem egregie illustrasset, nuper intitata sententia, illorum subscriptis hypothesi, qui philosophicam tantum imaginem hanc pericopen esse, judicare non dubitant. Cfr. DÖDERLEIN, Instit. Theol. Ed. 6:ta. Vol. II. p. 19. fqq. Ne recentissima quidem W. A. TELLERI explicatio, cuius notionem ex ephemeridibus Alg. Lit. Zeit. 1803. N:o 72 haufimus, nostram mutare potuit persuasionem. Namis enim artificiosa & ab ingenio

historie, tum philosophice veram habemus; nec sine lēsione & systematis, quo religio christiana cohēret, & satisfactio-  
nis, quam ex ea petimus, & auctoritatis Apostolice, in du-  
bium posse vocari, judicamus. Cujus judicii hēc nobis est  
ratio. Primum, vel nulla nos docente historica, nobis cre-  
dendum est, homines antiquissimos, unde natæ sunt gentes &  
populi per terram dispersi, non ex hac sponte crevisse, sed a  
creatore in loco quodam terrestri positos esse; eosque initio  
non fuisse nisi paucissimos, nec tales creatos, ut vel pravita-  
tas vel infelicitas eorum Deo attribui posset. Deinde autem  
omnes, quæ in sacris bibliis de antiquissima hominum condi-  
tione, describuntur res: & bonitati, sapientiæ ac iustitiæ Dei,  
& naturæ humanae, & historiæ antiquæ ita convenire nobis  
videntur, ut nullam intelligamus rationem, cur de hac re fa-  
ctæ non consideramus auctoritati, quæ non in veteri tantum te-  
stamento, sed in novo etiam (Rom. 5. 12. 18-21. 1 Cor.  
15. 22.) hanc pro vera confirmat historiam, & cum præcipuo  
religionis christianæ dogmate de redemtione generis humani  
per Christum connectit. Rom. 5 & 7. 1 Cor. 15. 47. Confer,  
si placet, Joh. 3. 5. 6. 16. 18.).

Quid vero incredibile continet hēc historia? Unum erat  
par protoplastorum. In loco vivebant amoeno, facili negotio  
beati. Integri (non corrupti) erant, sed liberi: æquilibrio sci-  
licet inter rationem & sensus originarie constituto. Explican-  
da erat moralitas eorum, sine qua nulla foret dignitas huma-  
na. Id fieri nequiebat, nisi proposito illis delectu inter obe-  
dientiam legi morali præstandam & delectationem sensuum.  
Lex moralis rationi eorum, sanæ quidem sed non exultæ,

G 3

quæ

antiquissimi temporis remota est allegoria: si semina, serpens &  
vir, pro symbolis tantum irritabilitatis sensualis, illecebrarum sen-  
sus irritantium & humanitatis rationalis, habentur.

quæ potuit proponi, nisi jussum creatoris eorum, patris optimi & sanctissimi? Objectum vero sensuale, legi opponendum, ad simplicitatem & statum eorum fere puerilem, aptius quod potuit esse, quam fructus prohibitus: qui & fruendi cupidinem & poscidendi studium, & nova quadam scientia se distinguendi, suaque sponte agendi ac sibi ipsi dominandi desiderium tentaret; cuius igitur & conspectus, oculis gratus, & vires & qualitates, phantale ope varie descriptæ, principia vitiorum, voluptatis, avaritiae & superbitiae, e quibus omnia cetera oriuntur, explicare possent? Hæc vero principia, et si in animo humano ita necessaria, ut posset homo peccare, si liber eset & bestiis excelleret, a ratione tamen, præceptum summi sapientiae, justitiae & bonitatis reverente, mox debelandæ: quam primum hanc superierunt, nativam etiam humanae mentis integritatem corruperunt. Sensus tamen moralis, innocentia perdita, nondum suffocatus est. Erubuerunt, timuerunt, se invicem accusarunt. Procella, cum tonitru & fulgore oriens, male sibi conscos ad fugam e horto capesendam conmovit: qua facta, primum temere circum-errantes, deinde ad hortum reverti vel nescientes, vel non audentes, asperiorem occuparunt locum; ubi, pudore & pœnitentia affliti, terram sentibus obfessam, laborem ad vitam alendam necessarium, dolores parturientis feminæ, mortem denique sibi instantem pro divinis habuerunt criminis suis pœnis. Eandem apud liberos suos observantes sensuum in rationem potentiam, hereditariam esse corruptelam persuasi sunt. Horum vero miserentes innocentiae, suæque culpæ concisci de benignitate divina, homines olim e corruptela ista restauratura, spem sibi mature formarunt. Hæc vero spes una cum historia lapsus ad posteros traditione propagata est. Tota denique res carmine antiquo descripta, ab Hebræis ad Mosis usque tempora conservata, ab eo pro vera & sacra habita, atque historiæ iuxæ præmissa, omnem habet probabilitatem & internam

nam & externam. Suam quasi historiam moralem quisque nostrum in hac narratione legit, simili culpa e paradiſo primæ innocentie expulsus. Neque facile totius generis pravitas aliter intelligi potest, quam derivando illam e prima protoplastorum culpa. Indubium nempe est omnis experientiae testimoniū, originariam quandam corruptelam a parentibus ad libros in humano genere propagari. Vel hodie, qui ebrietati deditus est pater, filium saepe gignit, ipsa sua corporis constitutione ad idem vitium propensam. (Lascivos parentes liberos genuisse, qui in ipsa infantia lasciviam prodiderunt, tristis probavit experientia). Neque singuli tantum homines, sed totæ generationes & gentes corrumphi solent. Quid igitur absurdum in antiqua illa narratione de propagata a primis parentibus ad nos usque proclivitate ad sensibus magis, quam rationi obediendum, lateat, non possumus intelligere: cum constet, nos omnes naturali hoc laborare vitio. (Rom 7. 23. Gal. 4. 17.). Inde tamen male colligatur, vel protoplastorum culpam nostram sieri, vel nostra peccata eorum culpa absolvī. Nam corpus vel maxime corruptum per se nihil malum moralis continere potest. Non est nisi instrumentum, quod si pravum est, magnam quidem difficultatem ei facit, qui eritur, sed non impedit, quominus usus ejus, quatenus a libera pendet voluntate, huic imputetur. Quanto autem vitiorum est natura nostra, cuius causa ipsi non sumus, tanto major est virtus nostra, si illam emendamus. Non enim constituit honestas vel turpitudo in ipsa actione, ejusque reali eventu, sed in voluntate, quæ est libera actionis causa. Ideoque fieri potest, ut qui honestior videatur, minus tamen honestus sit, cum minores virtus sua vicerit difficultates, vel a corporis constitutione, vel ab educatione, vel a rebus circumstantibus derivandas. Omnes autem, qui ratione uitimur, ad quæcumque vitia naturali feramur pronitate, ita tamen liberi sumus, ut illa emendandi consilium capere possumus. Possumus fal-

tem

tem *velles*; quod si serio sit, virtutem efficit. Neque impedit physica generis corruptela, quominus individualium unumquodque suam habeat nativam innocentiam moralē (Matth. 19. 14. Marc. 10. 14. 15. Luc. 18. 17. Rom. 9. 11.). Quidcunque mali ex congenito vitio patremus, si malum esse nescimus, integri manemus. Quamprimum autem contra conscientiam agimus, peccatum existit originarium: ita quidem a primis parentibus derivandum, si sensualē ab illis hereditio accepimus irritabilitatem (Joh. 3. 6.), ita vero nobis ipsis imputandum, si ipsam voluntatem nostram contra legem rationis, cuius consciē sumus, flecti & perverti sinimus (Joh. 3. 18. Jac. 1. 14, 15.). Vitium *objectivum*, (quod in ipso actione consistit) e nativa corporis constitutione, educatione aliquisque rebus externis, quae sensus irritant, sed ab homine ipso non pendent, oriundum est. *Subjectivum* autem, quod in consilio mentis consistit, non potest tribui nisi liberæ ejus voluntati. Propagata igitur in ipso genere est corruptela nostra, quatenus actiones nostræ male per se considerantur; quæ tamen non impedit, quominus hæc, singulæ, quatenus ad nostram referuntur voluntatem, liberæ sint. Ut Christi meritum nostrum non sit, sine libera nostra in illud fide: sic Adami peccatum nostrum non sit sine libero nostro in idem lapsu. (Rom. 5. 18, 19.). Ita tantum, peccatum originarium a patre ad filios propagatum, unicuique horum imputari, si id *suum* fecerit (tentationi non resistendo), expresse monet scriptura sacra. (Rom. 9. 6. Ezech. 18. 20.). Caro de qua loquitur Paulus (Rom. 7. 18. Gal. 5. 17-21.), sive sensualis hominis natura, et si omnis mali moralis physica mater, id tamen non sola efficit, cum morale aliquid e causa mere physica oriri minime queat <sup>cc)</sup>. Neque ille carnem per se spectatam vitiosam

---

<sup>cc)</sup> Constat quidem neque in sensuali, neque in rationali hominis natura causam mali moralis esse querendam; sed in libertate va-

Iam esse, docet; sed, lege demum adveniente, si huic contrarie liberam flectit voluntatem, peccatum gignere. Absque lege, inquit, peccatum est mortuum (Rom. 7. 8.): h. e. quatenus sensuali cuidam cupidini satisfecisti, pescius, id illicitum esse, non peccasti: tum demum peccas, cum contra legem in mente tua (v. 23) sive conscientiam tuam libere agis.

### §. 3.

Ita explicata origine mali, atque conciliato sensu libertatis individualis cum persuasione de nativa generis perversitate: suam quidem culpam quisque nostrum agnoscit, eoque ipsi fatetur, se aut meliorem fieri debere, aut poenae esse obnoxium. Quomodo autem aut melior fieri studeat & speret, si primum universalem corruptelam non tolli, ne minui quidem, observat, cum optimi parentes pravissimos saepe habent liberos, neque honestas generis humani cum cultura ejus procedat; si deinde certus esse nequit, virtutem, cuius sibi concipit ideam, per se vanam non esse umbram: cum scilicet aut mera sit prudentia, naturae & fortunae debita, amoenam sibi parandi vitam, aut tam sublimis & longe remota, ut ad illam ne distincte quidem cernendam, multo minus assequendum, vires humanae sufficere videantur?

Sed concedamus: & plurimos homines virtutem sequi posse, et si distincte in mente eorum non definitam; & definitio-

H  
nem,

---

Iuntatis, vel illius cupidines, vel hujus legem sequendi. Dubitare tamen licet, an clarior fiat res obscurissima, si cum Kantio (libr. cit. 1 Stück) radicale statuimus malum, cuius causa aut frustra queritur, aut a malo genio derivanda est, ut ille p. 47. (edit. 2) affirmare videtur. Neque hoc modo origo mali explicata est, (ut ipse observat); superest enim quæstio: quæ sit causa malitia malorum illius genii? Transcendens vero est, neque ad nos pertinet omnis hæc philosophia.

nem, qua virtus (non epicurea) intelligitur esse summæ sapientiae, iustitiae & bonitatis, cum in mente humana cogitatæ, tum quoad partem in orbe externo apparentis, imitatio activa, qua homo immortalem meretur felicitatem, satis esse cum subtilem, tum popularem, atque sine revelatione etiam probabilem. Supra vero jam monuimus, neminem de virtute aliena certum esse posse. Num vero de sua? Quis igitur sibi conscient est, se talem esse, qualem se debere esse, ratio sua jubet? Moriturus saltem sentiet, se divina egere gratia, quæ sibi ignoscat. Quid vero, revelatione destitutus de ipsa gratia sperare posse? Supersticio quidem sacrificia & dona inventit, quibus dii venales & injusti placarentur: sanctissimum vero numen non nisi absoluta honestate expiari posse, rationib[us] constans doceat, necesse est. Non quidem statuit, Deum a nobis plus poscere, quam agere queamus: sed teriam voluntatem omne id bonum agendi, quod possumus, a nobis jure exigi, nos omnes perpetuo monet. Hujus vero voluntatis absolute bonæ, quis sibi conscient est? — Præterea: cum homines, quatenus in orbe sensibili vivunt, non possint non respicere effectus quoque consilii sui honesti, hoc vero saepe erret, neque id assequatur bonum, quod intendit: quid mirum, si multi cum Bruto moribundo exclamaverint: pulchra virtus! nil es nisi verbum! dd).

Hæc vero dubitatio aut tyrannos facit, qui alios callide opprimunt, & crudeliter maestant, (Matth. 2. 16.) aut sui tantum otii & voluptatis studiosos, (Matth. 14. 3-10.) aut Saducæos, legi ita quidem obedientes, si ad salutem civitatis & externam honestatem id necessarium ducunt, omnia vero humana mortem esse finitaram persuasos, (Acta Apost. 23. 8.) aut

---

dd) An Brutus hoc revera dixerit? est quæstio historica, quæ hoc non pertinet. Sufficit talem exclamationem in ore civis, pro patria honeste sed frustra morientis, probabilem habere rationem.